Digitized by Google

9ª = 62 #9

FLC
2133

242
R47m

~~113. 8.~~

~~1986~~ 6

~~25 - 2 - 4 . 6279~~


2133

S. ORIENTII EPISCOPI ILLIBERITANI COMMONITORIVM.

Iterùm emendatum, ac Notis ſecundis illuſtratum

à

MARTINO DELRIO
Societatis IESV *Presbytero.*



SALMANTICAE,
Ex artium taberna ARTI TABERNIEL Antuerpiani. ∞. IϽC. IIII.

Digitized by Google

APPROBATIO.

COMMONITORIVM *iſtud morale ante annos 1100. à B. Orientio conſcriptum; quòd doctrinam Chriſtianæ conſentaneam pietati contineat, atque ad eam ſuaui, ſed acuta tamen, neruoſaq́; breuiloquentia Lectorem alliciat; digniſſimum iudico quod tandem ex latebris erutum nunc lucem aſpiciat, cum doctiſſimis Notationibus* R. P. MARTINI DELRII, *Societatis* IESV *Theologi. Datum Louanij, pridie Kalend. Iulij, Anno Domini noſtri* cIↃ. IↃ. XCIX.

GVILIELMVS FABRICIVS
Nouiomagus, Apoſtolicus,
ac Reg. librorum Cenſor.

Mui poderoſo Señor.

Por mandado de vueſtra Alteza, i comiſſion eſpecial del ſeñor Doctor Bonal oidor del Conſejo ſupremo, vi vn libro que ſe llama: *Sancti Orientij Epiſcopi Commonitorium:* con vna gloſſa del padre Martin Del rio, de la Compañia de IESVS: i pareceme obra deuota, pia, i elegante, i ſana, i catholica, ſin auer en ella coſa contra nueſtra ſancta Fè Catholica, ni contra ſanctos Concilios, ni buenas coſtumbres: por lo qual ſe le puede dar la licencia que pide para imprimille. Fecha en S. Franciſco de Valladolid, à 30. de Agoſto de 1604. Años.

F. Gregorio Ruiz,
Lector jubilado.

LICENCIA.

YO Miguel de Ondarça Çauala eſcriuano de camara del Rei nueſtro ſeñor, de los que reſidẽ en ſu Conſejo, doi fè, q̃ auiendoſe viſto por los ſeñores del dicho Cõſejo vn libro, q̃ preſentò Alonſo Perez librero, intitulado: *Sancti Orietij Carmina, cum Notis Martini Delrij*: que otra vez ha ſido impreſſo, ſe dio licencia al dicho Alonſo Perez, para q̃ por eſta vez pueda imprimir el dicho libro por el dicho original, que en el dicho Conſejo ſe ha viſto, que va rubricado, i firmado al fin del de mi el dicho Miguel de Ondarça Çauala: con que antes q̃ ſe venda lo traiga al dicho Cõſejo, juntamẽte con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtà conforme a el. I mandaron al impreſſor, que anſi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, i primer pliego, ni entregue mas de vn ſolo libro, con el original, al Autor, o perſona à cuia coſta ſe imprimiere, i no otro alguno, para effeto de la dicha correccion, i taſſa, haſta que primero el dicho libro eſtè corregido, i taſſado por los ſeñores del dicho Cõſejo: i eſtando anſi, i no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, i primer pliego, i en el ſeguidamente ponga eſte teſtimonio de la dicha Licencia, i la Approbacion, Taſſa, i Erratas: ſo pena de caer, e incurrir en las penas contenidas en la Pragmatica vltimamente fecha ſobre la impreſſion de los libros, i leies de eſtos Reinos. I para que dello conſte de pedimiento del dicho Alonſo

Perez, di el preſente en la ciudad de Valladolid, à ſeis dias del mes de Septiembre de mil, i ſeiſcientos, i quatro Años.

Miguel de Ondarça Cauala.

TASSA.

YO Miguel de Ondarça çauala Eſcriuano de Camara del Rei nueſtro Señor, de los que reſiden en ſu Conſejo, doi fè que auiendoſe viſto por los Señores del dicho Conſejo vn libro intitulado S. Oriencio, con ſus notas del Padre Martin del Rio de la Compañia de Ieſus, que preſentò Alonſo Perez librero: que con licencia de los dichos Señores del Conſejo fue impreſſo, le taſſaron a quarenta marauedis cada cuerpo del dicho libro en papel. I a eſte precio, i no mas, mandaron que ſe venda, i q̃ eſta fe ſe ponga al principio de cada vn libro de los que fueren impreſſos. I para que dello conſte, de pedimiento del dicho Alonſo Perez, di el preſente en la ciudad de Valladolid à veinte dias del mes de Ottubre de mil, i ſeiſcientos, i quatro Años.

Miguel de Ondarça
Cauala.

HEVS TV AMICE, AC STVDIOSE LECTOR:

Induſtriam, & diligẽtiam terſi Typographi attende, & lauda: licèt enim exactè, & accuratè perluſtres omnia, nullum inuenies mendum. Miraculum! quamuis exiguo in libro. quod & in longo opere futurum ſpero. Typographus noſter

Nõ fumũ ex fulgore, ſed ex fumo dare lucẽ Cogitat. * * * * * * *

Hoc tibi latere nolui ſtatim ipſo in limine. Lege.

D. LAVRENTIVS RAMIREZ DE PRADO PIVM, ET RES HISPANAS AMANTEM LECTOREM SALVERE IVBEO.

PRIMVM, Lector optime, εὐαγγέλια. Reduces tibi nuntio in Hiſpaniam viros duos Hiſpanos, quos non minoris à te, quàm à me fieri ſpero. Alterum ſanctiſsimum Praeſulem Illiberitanum, Hiſpaniae Tarraconenſis decus, quem tamen ſcias multa iàm ſaecula in coeleſtem beatorum coetum receptum immortalitate frui; reuertitur tandèm ad Hiſpaniam ad viuũ expreſſus in hoc libro verſibus cõpoſito, quibus olim Apollinaris Sidonius (ah quãtus vir!) mirandum in modum delectabatur. Alter eſt Martinus Antonius Delrius Sacerdos Societatis IESV, qui ad nos reuerſus librum hunc dono ſuis Hiſpanis attulit. Dolebas, ſi ſapis, tantam virtutem, nobilitatem, induſtriam, tantam rerum omnium diuinarum, humanarumq; cognitionem tàm diu ab Hiſpania pe-

regrinatam affuiſſe. Gratulare nunc Hiſpaniae toti, quòd is relicta Flandriâ, Germaniâ, Auſtriâ, & illis ſeptentrionalibus regionibus, in quibus tot, tantaſque vtilitates ſuis vigilijs, ſuis laboribus, ſui capitis periculis Catholicae Eccleſiae peperit, poſtquàm ſui nominis gloriâ vniuerſam Europam compleuerit, Hiſpanos ſuos tandem reſpexerit, & ad eos, longo temporis interuallo migrauerit. Ego, qui hominem ex doctiſsimis operibus iàm diù cognoueram, & miratus fueram, nunc autem cum eo magnâ amicitiâ coniunctus humanitatem ſummam, & ſuauiſsimos eius mores amo vehemẽter, volui beati ORIENTII libellum Louanij primũ in lucẽ emiſſum, nunc iterũ operis excudendum tradere, vt de te quomodocumq; benè mererer; & vt ſanctiſsimi Hiſpani viri poëmata haberes, & ſcires etiam Martinum Antonium Delrium apud nos in Salmanticenſi Collegio commorari. cuius Notas ab eodem recognitas adiũximus ORIENTIO, vt, ſi fortè adeò fueris in politiori litteraturâ peregrinus, qui hunc virum ex alijs operibus non agnoſcas, poſsis ex his Notis, tanquàm ex vngue leonem. Vale. Ex noſtro Salmanticenſi Muſaeo. XV. Kal. Octobreis. cIↃ.IↃC.IV.

ILLVS-

ILLVSTRISS.

CAESARI BARONIO

S. R. E. PRESBYTERO

CARDINALI

MARTINVS DELRIVS

SOCIETATIS IESV.

QVod ex diuino illo Eccleſiaſticorum Annalium tuorum, BARONI CARDIN.*, theſauro deprehendi, deſiderium tuum, Sancti Viri Orientij carminum; id me, vbi lateret pars nō exigua gnarum, impulit eam ipſam deſcribere, & Notis breuibus caſtigatā, explicatamq́; ſtrictim, in lucem dare. Mitto nunc quod habeo, fors alij inuenturi quae addāt. Confido hoc indicium amoris & iudicij mei, tibi, de totâ Eccleſiâ, & Societatis noſtrae parēte tàm benè merenti, quod humanitate, & eruditione, & pietate tuâ dignum, non ingratum futurum. Vale* CARDINALIS ILLVSTRISSIME. *Louanij,* v. *Kal. Septemb.* CIƆ. IƆ. XCIX.

AD LECTOREM DE SCRIPTORE.

DIFFICILE ſanè definire, quis iſte ſiue *Orentius*, ſiue *Orientius*. nam promiſcuè vſurpatum hoc nomen ex Martyrologij Romani & Vſuardi diuerſis exemplaribus patet; nec etiam cõueniunt Fortunati & Sigisberti codices, ſed modò hi vnum, alij modò alterum exhibent. Plures hoc nomine fuêre. Vnus XXIIII. Iunij in Eccleſiaſticis tabulis colitur anniuerſaria commemoratione *Orientius Armenus Martyr.* Kal. autem MaI, Oſcae *Natalis SS. Orientij & Patiẽtiae Martyrum*, quos Eccleſiae illius monumenta parentes dant B. Laurentio Leuitae & Martyri. eodem die Auſcij, Narbonenſis Galliae oppido, traditur memoria celebris *S. Orientij* (haut dubiè alterius) quem Vſuardus ſcribit virtutibus ornatum ſancto fine quieuiſſe; etſi eo loco M. S. codex bonus, & vetuſtus Collegij Societatis noſtrae hunc vltimũ, non *Orientium*, ſed *Orientem* appellet, minùs, vt arbitror, rectè. Videntur enim Chriſtiani (à Chriſti illo prophetico nomine Zachar. 3. v. 8.

v.8. & 6.v.12. VIR ORIENS) lubenter *Orientij* nomen deduxiſſe, & aliquando contraxiſſe in *Orietium*, vnde facilis deprauatio fuit (felix hæc coniectura doctiſsimo & Illuſtriſs. Baronio priùs incidit) apud Sidonij librarios, in [a]*Oriesium*. magna enim minuti *s*. & *t*. affinitas: facilis quoque & pronus librariorum lapſus, ſubſcriptionibus Cõciliorum Hiſpanicorum, in, *Oruntium*, vel, *Orontium*; non quidem in ſubſcriptione Concilij Toletani 7. & 8. nec in laudatione illa Concilij Emeritenſis *cap*. 8., quae ſincera ſunt. nam Emeritenſem illum Antiſtitem verè vocatum *Orontium* arbitror; & famam nominis illius in causâ fuiſſe, cur alterius noſtri nomen corrumperetur. Sed vitium irrepſit in ſubſcriptiones Concilij Tarraconenſis, & Gerundenſis, ex quibus patet *Orientium* noſtrum anno Domini DXVI. & DXVII. Illiberitanum Epiſcopum fuiſſe; qui Epiſcopatus tum ſuberat Metropolitano Archiep. Narbonenſi. Haec enim Metropolis vſq; in Hiſpaniae Tarraconenſis eam partem, quae Pyrenaeo proxima, porrigebatur, vt & Viſigotthicum ſceptrum. Crediderim Eccleſiam hanc vocandam non, *Eliberim*, ſed *Illiberim*: gnarus non *Eliberim* illam Boeticam

[a] al. *Oreſiũ*.

Qui Orietiũ *nolunt interfuiſſe Concil. Tarracon. eam Synodũ habitã volunt Anno* 517.

 eſſe,

eſſe, quae ad Eluiram montem ſita; ſed *Cauco Illiberim*, ad radices Pyrenes, quâ vergit in mare Tyrrhenum, quae hodie *Collybre* nuncupatur. Illum Auſcitanum inuenio à P. Mariana lib. 9. de reb. Hiſpan. c. 17., neſcio quamobrẽ, *Aurantium* vocari. Noſtrum ſanè Hiſpanum fuiſſe *Orientium*, etiam Fortunatus non multo recentior indicat; qui, *in Carmine de vitâ B. Martini Turonenſis*, illum non iungit modò, ſed & medium inſerit Aur. Prudentio, & Iuuenco Presbytero, vt conterraneis, & eum ſcriptorem vocat *florentis oris*. Conſentit apertius & locupletius teſtimonium Sidonij Apollinaris, viri eâ aetate doctrinae, ſapientiae, & ſanctitatis laude florentis, *lib. 9. epiſt. 12.*, his verbis perſcriptum: *Venit in noſtras à te profecta pagina manus; quae trahit multam ſimilitudinem de ſale Hiſpano in iugis caeſo Tarraconenſibus. Nam recenſenti lucida & ſalſa eſt: nec tamen propter hoc ipſum mellea minùs, ſed ſermo dulcis, & propoſitionibus acer.*] Sanè carmen, quod nunc damus, lucidum & ſalſum eſt, ſermone dulci, facili, nec tamèn diffluente aut languido; ſed acri & neruosâ breuitate (eloquentia Latinitatis limi trahit nonnihil, ſed de aeuo) duriuſculum, ſed locis pauculis, & fortè culpâ

Corruptè inſcriptio praefert *Oresto*, vt monuit Baron.

culpâ malae manus alienae, vel electione, & quadam ornatum reſpuente pietate. Nec *Auſcium*, vbi celebris memoria huius viri, abeſt procul: nec patriam neceſſe eſt eſſe, vbicunque ſanctitas Deo in coelo conregnantis colitur. Sigiſbertus denique Gemblacenſis; ab ipſis Scriptoribus Hiſpanis Iſidoro & Alphonſo, ſiue Ildefonſo, ſed & à Gennadio, praeteritum; & nouit, & huius ipſius opuſculi meminit, dum in Catalogo virorum Illuſtrium, cap. 34. [a] *Orentius* (ait) *Commonitorium fidelibus ſcripſit metro Heroico, vt mulceat legentem ſuaui breuiloquio.*] Omnino mihi perſuadeo, de his ipſum verſibus ſenſiſſe: nam & *Monita* vocat non vno loco, & ſanè ſuauiſsimum eius eſt breuiloquium, aptum vitae melioris amatorem legendo mulcere. Quòd verò dicit *Heroico metro* ſcriptum, dicit, quia Hexametri Pentametris mixti; & Heroicum imae illi aetati ac Latinitati, quicquid Lyricum, Ropalicum, vel Leoninum ex profeſſo non erat. Quem modò laudaui nunquam ſatis laudatum, Caeſar Baronius, dolet *Nobilis ingenij omnia periiſſe monimenta, imò & nomen ipſum penè obliuione ſepultum, quod vix tandem eruderatum, obtectaq; rubigine purgatum reddere liceat.*]

a leg. Orïentius.

Tomo 6. Annal. anno 484.

Ample-

Amplectere igitur, Lector, monimentum illius vnicum, quod laudat Sigiſbertus, & de reliquis amiſsis doloris aliquam partem minue: inuentum id diligentiâ Heriberti Roſuueydi noſtri, impetratumq́; à Reuerendo admodum Patre N. Priore Aquicinctenſis Monaſterij, mihiq́; commodatum, quàm potui optimâ fide tranſcripſi, nihil mutans eorũ quae in contextu inueni mendorum, orthographiae quoq; priſcae veſtigijs relictis, quae poterant Auctoris aeuo in vſu fuiſſe. cõiecturas emendationum in marginem reieci, & libello Notulas lucis aliquid adlaturas ſubieci, cauens ne nimis audaci diuinationi tribuerẽ. praeſtat quaedam intacta relinqui, quàm noua vulnera infligi. hacc te latere nolui. Si labor iſte probatur, fortè dabit Deus vt dem aliorum alia piorum Patrum ſcripta, quae nondum lucem adſpexerunt. Vale. Louanij, IIX. Kalend. Februar. cIↃ. IↃ. XCIX.

S. ORIEN-

S. ORIENTII VERSVS

EX M. S. MEMBRANACEO VETERI ABBATIAE AQVICINCTINAE.

1 QVISQVIS, *ad aeternae feſtinus praemia vitae,*
Perpetuanda magis quàm peritura cupis;
Quae coelum reſeret, mortem fuget, aſpera vincat,
Foelici currat tramite, diſce viam.
Nam nos, & carnis vicijs, & tempore victi,
Terrenum gradimur, ſiue doloris iter:

Solaq; permixtis haec ſunt modò gaudia votis,
Si, quod non facimus, ſaltem alij faciant:
Vt quia nunc iſtud, quod protinùs effugit, aeuum
Infidis capti degimus illecebris,
Laſciuum, miſerum, fallax, breue, mobile, vanum
Ceu * * * *

Talis hic lacuna in codice, nullo litterulae alicuius veſtigio.

Omnibus his, raptim quae ſunt moritura, relictis,
Tu forti teneas non moritura fide.
Ergo age da pronas aures, ſenſumq; vacantem,
Vita docenda mihi eſt, vita petenda tibi.
Sed, quo ſit melior noſtri doctrina libelli,
Et teneat rectas carminis ordo vias;
Te Deus omnipotens, & corde, & voce rogare,
Te ſine [a] ne linguam ſoluere CHRISTE placet:

a ſcrib. nec.

Demere qui tenebras reuocato lumine caecis,
Auditum ſurdis auribus inſerere,
Corporis & mentis ſaeuos depellere morbos,
Soluere mutorum qui pius ora ſoles:
Te penes officium noſtri eſt, & cordis, & oris,
Da ſentire mihi, da mihi poſſe loqui:
Nimirum vt noſtrã vegetẽt tua munera linguã;
Ac per te de te ſit mihi ſermo placens.
Mandato [b] coniuſſa tuo ſuperauerit omnem
Naturam noſtrâ voce fruens aſina,

b ſcrib. cùm iuſſa.

Et ſtimulis propria ſubigentem terga Balaam
Terruerit miro quadrupes alloquio;

Qui,

Qui, magno Regis trepidi crebroq; rogatu,
Dira ſuper ſanctum verba parans populum
Non potuit [a] *propriè motam ſibi ſubdere linguam,*
Ore aliud dicens, corde aliud cupiens.
Nam maledicturus nimiè benedicere coepit,
Impendens aliis ora parata aliis.
20 *Ergo niſi eloquium, ſenſum niſi* CHRISTE *miniſtres,*
Conatus animae tu niſi CHRISTE *regas;*
Ora homines omnes, & muta, & bruta tenebunt;
Quodq; etiam poſſunt, hoc quoq; non poterunt.

PRINCIPIO *geminā debes cognoſcere vitam*
A Domino indultam cum ratione homini:
Vt; quoniam brutum terreno eſt pondere corpus,
Aſt anima afflatu [b] *eſt viuificata Dei;*
24 *Nullum ſentirent animae diſpendia finem,*
Eſſet in hoc fragili corpore vita breuis.
Vnica naſcendi ratio [c] *prius omnibus affert,*
Hanc curâ, & propriis conſequitur meritis.
Naſci non noſtrum, nec longum viuere noſtrum:
Vitam, quae ſequitur vita parare poteſt.
At licet arbitrio Domini ſumamus vtramque,
Et neutra obueniat, ni Deus hoc iubeat:
28 *Prima tamen celeri fertur per prona rotatu,*
Quae ſequitur [d] *tutis eſt data temporibus.*
In primam ignari nullâ mercede venimus,
Altera de ſummo parta labore venit.

[a] for. properè.

[b] poſſet *eſt* deleri: ſed ſolent huius ætatis ſcriptores ſic repetere.

[c] mendum aliquod latet in hoc diſticho: quale neſcio.

[d] Lipſius, corr. *totis.*

Naſcimur, vt Dominum coeli, terraeq;, mariſq;
Quaeramus toto peruigiles ſtudio.
Quaerimus; vt, quis ſit, qualis, vel quantus, agat quid,
Poſsimus vero noſcere iudicio.
Noſcimus; vt dignâ compertum laude colamus.
Vt vitam tribuat perpetuam; colimus.
Et colimus non [a] *rure dato, non ſanguine fuſo,*
Non vino madidi, non epulis grauidi.
Aurum, veſtis, odor, pecudes, libamina, gemmae,
Et quae [b] *tanta homines, vel* [c] *precioſa putant;*
Ante Deum, vt vile; terreno è pondere moles,
Vt cenum, vt ſordes, ſic inhonora iacent.
Omnia ſunt eius, cuius nos eſſe fatemur.
Nil proprium eſt nobis, ipſe habet, ipſe dedit.
Ecce etenim ſancto proclamat in ore Prophetae.
Nolo tuos hircos, nolo tuos vitulos.
Et ſpecies igitur mecum eſt, & gloria coeli,
[d] *Orbis & meus eſt, & quod in orbe meum.*
Debita ſoluantur ſancto mihi pectore vota,
Hoſtia me laudis, puraq; vox celebret.
Ergo nihil noſter poteris praetendere lector
Iſtis quod tibi ſit difficile in [e] *monitis.*
Non longè poſitum, non eſt aliunde petendum,
Non re, non ſumptu, non opus eſt precio.
Sufficit, vt Dominum mundi, rerumq; parentem;
Cuius in arbitrio, vel bona, vel mala ſunt;

a ſcrib. *ture.*

b Lipſ. *lauta.*

c Aeg. Schondōchus, *ſpecioſa.*

d for. *Et meus eſt orbis.*

e an ergo libri titulus? MONITA.

Sen-

[a]Senſu maiore vincentem verba loquentis,
Vnum, incorporeum, [b]perpetuóq; ſacrum,
44 *Omnia complexum, vel ſemper in omnibus vnum,*
Corde pio credas, credulus ore [c]roges.
Sed quid ſic nudis tantùm ſermonibus vtor,
Tanquam nulla Dei ſint ſuper hoc monita?
Nam primùm veteri cautum ſub lege memento,
Quae dudum in ſolidis ſcripta fuit tabulis,
Quod nũc per Dominũ renouat data gratia CHRI-
Atq; Euangelij vox veneranda ſonat: (STVM,
48 *Vt, quod ſaxa priùs, modò pectora noſtra tenerent,*
[d]Ceſſet & vberior bis repetita fides.
Affectu toto Dominum, totiſq; medullis,
Atque tuo toto dilige corde Deum.
Et rectè. quid enim poteris tu iuſtius vnquam
Obſtrictus tantis ſoluere muneribus?
52 *Qui tibi, cum limus terrenâ in faece iaceres,*
Demſit perpetui temporis eſſe lutum:
Qui tibi, quod mẽbris conſtas, quod mente moueris,
Quod linguâ loqueris, quod ratione ſapis,
Quod manibus tãgis, graderis pede, lumine cernis,
Aure audis, ſentis naribus, ore probas,
Ante aliquod meritum, propriâ pietate miniſtrat,
Corporis, ac animae ſic Pater, vt Dominus:
Et non hoc ſolo contentus munere, quo te
Inſtruxit menbris, ſenſibus excoluit:

[a] f. *Cenſu.*
[b] Schondonchus optimè, *perpetuũq; ſacrum.*
[c] idem *ſones.* fit cõfeſsio ore ad ſalutẽ. quid ſi *probes.*
[d] corrig. *Eſſet.*

Qui[a] *tribuat vitam largitur commoda vitae,* 56
Omnibus vt tibi ſit praedita delicijs.
Ecce tibi coelum pendet, tibi terra[b] *recedit,*
[c] *Aëra librantur, fluctuat oceanus:*
Noctibus atque dies ſuccedunt, menſibus anni,
Sol ſplendet, lucent ſidera, luna rubet.
[d] *Ver varios blandus perfundit germine flores,*
Aeſtas iam grauida fructibus arua coquit,
Auctunnus muſto madidus, praepinguis oliuâ eſt, 60
Ignibus[e] *amotis frigora neſcit hyems:*
Imbribus arcendis confirmas pendula tecta;
Ignoras ventos aedibus oppoſitis;
Hirtaq; lanigerae depectens terga bidentis
[f] *Mollibus inuolucris algida membra tegis:*
Lenia nec deſunt niuei velamina lini,
Sunt etiam Eoïs pallia velleribus:
Illa ferax[g] *iacta reddet tibi ſemina tellus,* 64
Haec celſis carpent Seres in arboribus.
Deniq; per totum, qui circum voluitur, annum
Quicquid habes, totum dat tibi cura Dei.
Campus meſſe viret, veſtitur palmite collis,
Arbore diuerſâ mitia poma metis,
Et ſtudium impendens foecundo prouidus horto,
Vtile quo libuit tempore ſumis holus.
Accendis pinguem quaecumq; in lumina pinum, 68
Nobilibus menſis cerea flama micat.

a for. *tribuit.*
b corr. *reſidit.*
c for. *Aër libratur.* Schond.
d Lipſ. *ver vario blãdos.* Schõ. *ver varium blando.* ἔαρ ποικιλόκαυλον.
e for. *admotis.*
f Schond. *Mollibus inuoluis algida membra togis:* nihil muto propter diſt. 130.
g for. *iacto r. t. ſemine.*

Nec

Nec modo terreno tantùm ſeruire iubetur
Per varios vſus ſubdita terra homini:
Ipſa etiam quicquid fertur prope [a] nubile, quicquid a corr. nubila.
Alto ſubductum voluitur in pelago,
Nunc fallente cibo, nunc texto in retia lino
Artibus innumeris inde vel inde [b] petes: b for. petis.
72 *Et tibi nunc imo trahitur de gurgite piſcis,*
Aëre nunc ſummo decipiuntur aues,
Agmina venanti procumbunt denſa ferarum
Icta procul iaculis, vel laqueata plagis.
Prona petis ferro, canibus fugientia ſiſtis,
Contundis frenis ora ferocis equi:
Ad iuga panda boues cogis, ad mulctra capellas,
Diſtillant criſpis dulcia mella fauis,
76 *De ſaxis gemmas, aurum producis harenis,*
Lentaq; de terris igne metalla coquis:
Gramina diſcernens triſtes medicantia morbos,
Pellis letiferum ſedulus arte malum.
Quin etiam vt mercem peregrino à litore ſumas,
Et tua des alijs, atque aliena petas;
Flumina remigio percurris, & aequora velo,
Ibis longinquas abſque labore vias:
80 *Aut ſi formidas pelagus, carpenta mouebis,*
[c] *Deq; tuis ſternet terra notanda rotis.* c for. Sed.
Tunc ſi laſſatum quaerit blanda otia corpus,
Humida puluereum balnea ſuſcipient:

Atque

a corr. ſpoliatus. *Atque cauo tota [a] ſpoliatur veſte lauacro,*
Marcida perdomitis membra fouebis aquis.
Tot tantisq́; bonis Domini tibi munere partis
Quid tandem dignum reddis amore pio?
Aut quibus haec opibus, quibus & perſoluere donis,
Vel quanto poteris pendere ſeruitio?
Nec tamē haec Dominus, cuius ſunt omnia, quaerit:
Sufficit vt Dominum ſeruus amatus ames.
Haec quoque mandati ſuccedit forma ſecundi
Proximus vt tibi ſit ſic, velut ipſe tibi es.
Noſco ſalutiferam manſuro munere legem,
Vno quae cunctis proſpicit officio.
Nam cum aliena mihi mandatur cura, neceſſe eſt,
Vt mea mandetur ſic quoque cura alij.
Ecce pecus pecudem foecunda ad pabula ducit,
Ammugit proprio buccula laeta gregi,
Murmure reſpōdent: quâ poſſunt voce loquuntur,
b cor. ſolet. *Inq́; vicem docilis lambere lingua [b] ſolent.*
Non caret affectu quod fluctibus occulit aequor,
c corr. & fera blanda ferae. *Et volucris volucri eſt, & [c] blanda fera ferae.*
Tum, ſi quādo venit quocumq; ex agmine praeda,
Fortior inualidos vngue, vel ore premens;
Seu volucrum res eſt, ſeu res eſt illa ferarum,
Vndique collectis tenditur auxilijs,
Captiuam comitem curſu, grege, voce, volatu,
Et ſi non poſſunt, eripuiſſe volunt.

Cumq́;

Cumq; ita ſe ſolo naturae munere ſeruent
Quae nec conſilio, nec ratione vigent:
96 *Quid mirum Domini ſi iuſſa verenda ſecutum*
Mutua [a] *conſtringet cura hominis hominem;*
Atque vſu, ingenio, rebus, ratione peritus,
Vt ſua quae tua ſunt commoda frater agat?
Hinc venit illa placens meritò ſententia, nectens
Humanum parili conditione genus:
Nec facias alijs, quicquid fieri tibi non vis;
Idq; alijs facias, quod tibi vis fieri.
100 *Quod genus eſt hominũ, quis ſexus, ritus, & aetas,*
Quis neget hoc rectum, [b] *quis neget eſſe probum?*
Quid non mandatum latè complectitur artum?
Plenius hac [c] *breuitate tradi quid poteſt?*
Namq; ea quae mala ſunt, fieri modo ſic mihi no-
Vt rurſum cupiam quae bona ſunt fieri; (lim
Indice non opus eſt, doctor nec quaeritur vllus.
De nobis ſcimus quae bona, quae mala ſunt.
104 [d] *Gaudebit certè ſi quis te nocte viantem*
Blandus vicinum ducat in hoſpitium:
Tu quoque ſollicitus prouiſis excipe tectis
Illum, qui ſerâ nocte viator erit.
Veſte tegi nudus, ſitiens ad pocla vocari,
Eſuriens optas vt ſaciere cibis:
Te quoque permoueat proprij par cauſa laboris,
Diuide cum miſeris pallia, pocla, cibos.

a cor. *conſtringat.*

b for. *qui.* vtroque loco.

c corr. *tradi quid breuit. poteſt?*

d corrige *Gaudebis*

Ecce manum poſcis lapſus, ſolatia meſtus, 108
Auxilium trepidus, conſilium dubius:
Id meſtis, dubijs, trepidis, labentibus [a] *offers:*
In ſimili cauſâ fac vt ameris amans.
Certè incuſari falſo de crimine non vis,
Crimine falſo alios [b] *inſtimulare time.*
Odiſti furem, furtum caue. perdere non vis
Per vim quae tua ſunt: nil violenter agas.
Pacta tibi dubio non vis nutare paratu: 112
Commiſſam certo tempore redde fidem.
Quae tibi detraxit velles ſuccidere linguam:
Cura ſit vt nullum liuida verba notent.
Mutua cumq; [c] *petas vis ſumere protinùs aera:*
Mutua poſcentem dextera promta iuuet.
Elatos faſtu damnas: depone tumorem,
Quod fugis in celſis neſciat inferior.
[d] *Certè tibi ſoror eſt, vel mater, caráue coniunx;* 116
Quarum ne vitam fama grauis maculet,
Perpetui curam cautâ pietate pudoris
Filius, aut frater, ſiue maritus agis:
Haec veneranda tibi ſi nomina temptat adulter,
Ferrum in vindictam non ſatis eſſe putas.
Nonne eâdem poenâ reus es, ſi tu quoque furtim
Aggrederis caſtos ſollicitare toros?
Hinc fuit vt Dominus primâ ſub lege iuberet 120
Penſari paribus crimina ſupplicijs;

a corr. *offer:*

b for. *inſimulare.*

c Schond. *petis*

d Schond. *cerne tibi*, vel *certa*, vel *ſi qua.* ego nihil muto. nā in Eccleſiaſticis ſcriptoribus multa ſæpe contra legem pedariam, vt

Pro

Pro dampno dãpnum, vulnus pro vulnere, dentē
Pro dente, atque lui lumina luminibus;
Nec minùs vt propriã ſub iudice redderet audax,
Alterius cuperet qui rapuiſſe, animam:
Iudiciumq́; reus [a] *non poſſet dicere prauum,*
Paruis decreta eſt vltio criminibus.
124 *Et licet haec meliùs mutarit gratia Chriſti,*
Mitiaq́; potiùs quam violenta docet:
Aſt tamen eſt rectum, quicquid iubet iſta vel illa,
Seu citò reſtituas, ſeu patienter agas.
Hoc tamen eſt melior qui Chriſto vindice gaudet,
Seruet [b] *ſe Domino quod dedit ille ſibi.*
Ergo pijs votis, & ſanctis perfice rebus
Vita quod haec praeſens, quodq́; futura probet.
128 *Vitae quem rectae fugiens commendat honeſtas*
Perpes poſt obitum gloria ſuſcipiat.
Nam noſtris certus monitis, manſura memento
Omnia, nunc ſtulti quae peritura putant:
Atque animas, iſdem membris redeuntibus, ipſum
Crede recepturas corporis inuolucrum.
Ora, color, ſanguis, venae, cutis, oſſa, capilli,
Vt nunc labuntur, ſic iterum venient;
132 *Non modò quae tumulis benè condita ſaxa reſer-(uant,*
Aut [c] *aruum ſolidans puluis, odorq́; tenet:*
Sed, dicto citiùs, firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluuijs;

qui Orbilio manū ſubtraxerant.

a Schond. *ne poſſet* puto ſic interpretãdã phraſim illius aeui.

b Lipſ. *ſi*, mallem *ſic*

c mendoſus verſus. Lipſ. *Aut carnem*

Quod ventus flatu minuit, quod beſtia morſu,
a f. exuſsit — *Flama quod* [a] *excuſsit, quodq́ ruina premit,*
Totum aderit, totum diuerſâ ex parte coïbit,
Pars volucri, aut piſci, pars laniata feris.
Et quod nunc aetas ſenſim longaeua reſoluit, 136
Id raptim Domini bucina reſtituet.
Vt, pro factorum meritis, in corpore eodem,
In quo geſſerunt ſeu bona, ſiue mala;
Scilicet, ad motus animorum carne reuersâ,
Pena reos, iuſtos gloria ſuſcipiat.
Cur autem dubites, cùm praecedentia monſtrent,
Vt tibi venturi ſit manifeſta fides?
Reſpice nudatas brumali frigore ſiluas 140
Iam deſperatis luxuriare comis:
Quae ſtabat moerens decuſſo palmite vitis,
Veſtitur folijs, fructibus induitur.
b Lipſius, *Spiceus en.* for. *Adſpicis vt* — [b] *Apiceus denſis calamus flaueſcit hariſtis,*
In terrâ granum quod modò putre fuit:
Et quae nunc triſti ſqualebant arua veterno,
Laeta nouo rident germine, flore virent.
Ipſe etiam, varijs concluſus menſibus, annus 144
Tempore mutato, mortis habet ſpeciem:
Cùm Ver Autumno, frigus depellitur aeſtu;
c corr. *ille venit.* ſ. aeſtus. — *Vtq́ hominum res eſt, hoc abit,* [c] *illud venit.*
Hoc tamen aeterno, donec Deus annuit, vſu,
Inq́ vicem alterno voluitur officio,

Et

Et dum ſe longi ſequitur rota mobilis anni,
Naſcitur & moritur, ſuccidit atque redit.
148 *Nam, finis noſter finem non accipit, & mors*
Qua primò morimur perpetuò moritur:
Victuro ſemper motu ſenſuq́ manente,
Omnis perpetuo tempore viuit homo.
Viuet homo. Fletus [a] *eſt hic mea verba ſequuntur.*
Nam puto ſic hominis ſors melior fuerat
Cum ſenſu vitae ſenſum deponere poenae,
Et natum innatis conſimilem fieri:
152 *Quàm nunc, peccatis toto dominantibus aeuo,*
Extingui vitae, viuere ſupplicijs.
Nam rogo ne credas dirae ad compendia poenae
Quod raptim ſontes debita flama voret.
Ignibus aeternis immenſos reſpice colles
Iugiter amburi non tamen inminui:
Et gelidos fontes, & caerula flumina cerne
Fundere ſemper aquas, ſemper habere tamen:
156 *Sic miſeros vindex ſemper populabitur ignis,*
Vt ſemper ſeruet pabula laeta ſibi.
Haec ſi falſa putas, meritò poſt vera probabis
[b] *Vt falſa effugies, ſi modò vera times.*
Quare poſt mortem ſequitur [c] *ſe vita perennis,*
Laetificans iuſtos diſcruciansq́ reos;
Viribus & totis, & totis nitere votis,
Quae rectum ducunt continuare vias:

a corrige ex iudicio Schond. *aſt hîc*

b D. Fabric. *At falſa*

c Lipſ. *ſi*

CONTRA LASCIVIAM, ET VENEREA.

Contere calcatum cum mundi principe mundum,
Et fuge laſciuis credere delicijs.
Praecipuè ſemper famoſos deſpice cultus,
Iudiciumq́; tuis eripe luminibus.
Nemo feret rutilos intactis veſtibus ignes,
Nemo inter lituos non [a] trahit [b] ore ſonum.
Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
Naribus aſsiduam non metet vngue roſam.
Nemo diu ſitiens, & multo ſole peruſtus,
Incumbet gelidis, nec potietur aquis.
Nemo vias pedibus brumali tempore carpens,
Comſperſus pluuiâ, nec madefactus erit.
Nemo, licet medijs muris, ſub tempore belli
Aut benè ſecurus, aut benè tutus erit.
Congreſſus praeſtat viſum, mox lumina [c] viſum
Concipiunt flamas parturiuntq́; nefas;
Dum, veluti iacto piſcantis fraudibus hamo,
Primùm animus capitur, pòſt etiam moritur.
Prima mali labes, heu! femina, te dolus anguis,
Ac hominem per te reppulit à Domino.
Erepti tu cauſa boni, tu ianua mortis,
Tu citò decepta, tu citò decipiens.
Ergo age [d] quae nullo maculari pectora neuo
Et purus puro niteris eſſe animo;
Vt laqueos ignis validos & acuta venena,
Cernere laudatam ſic fugies faciem.

[a] Lipſ. trahet
[b] cor. aure
[c] cor. viſu
[d] corr. qui

Non

Non ego nunc repetam per tot iam ſaecula quantos
Feminei vultus perdiderint populos,
[a] *Praeterea clades Spartanas, Troïca bella,* [a] Lipſius Praetereâ
Et raptim excidium quàm propè Roma tuum:
Cùm gentes nullâ Domini ſub lege, nec vllis
Sanctorum ad vitam perdomitas monitis;
176 *Quà furor impulerat, laſciuus duceret error,*
Eſſet & hoc licitum quod fuerat libitum.
De ſacris inquam, de ſacris percipe libris,
Oprobrio quantis turpis amor fuerit.
Te Dinae ſpecies nimio ſub amore ruentem
Extinxit Sicem, cum patre, cum patriâ.
Nam malè compreſſam fratrum pia cura ſororem
Permittit talamo, vindicat in gladio.
180 *Hunc quoq; laudatum pſalmorum carmine Dauid*
Forma placens celſo depoſuit ſolio,
Cùm malè laſciuum [b] *cõmpto crimine corpus* [b] Sic eſt in mẽbranis. f. comperto
Sacco contegeret, contereret cinere.
Thamar forma duos ſub eodem tempore fratres
Inceſti & ferri perpulit in facinus:
Vnus corrumpit, corruptam vlciſcitur alter.
Vltio quae iuſta eſt, deſinit eſſe pia.
184 *Ipſe etiam Salomon; cuius ſapientia priſco*
Tempore, & in toto nobilis orbe fuit;
Ducitur in facinus vetito laqueatus amore,
Femineo ſubdens turpia colla iugo:

Et

Et Domini immemorē meritò praeconia laudum,
Quae iuuenem ornarant deſtituere ſenem.
Forma placens Regi letho te tradidit Aman:
Forma tuum rapuit dux Oloferne caput:
Illum mirifico famoſum robore Samſon 188
Forma decens ſaeuis tradidit Allophilis:
Sanctus & victor per tot modò praelia miles,
Heu malè femineis ſubditur arte choris,
a f. *Vt iam* [a]*Vitam pollutus; pariunt quia crimina poenam;*
Oſcula virginibus, terga daret gladijs.
Tu quoq; Leuitis tantum dilecta, nec vxor,
Inſano iuuenum ſubdita nocte toro,
b for. *ad* *Vindictae ſtudio totas* [b]*vel bella dediſti,* 192
Perdere contentas ſiue perire tribus.
Vt membris lacero diſperſis funere Gabaat
Efficeret diris ignibus vſta rogum.
Non mihi ſi linguae centum ſint, oraq; centum,
Expediam quantum forma placens noceat.
Laſciuo clamat benedictus Apoſtolus orbi,
Dans etiam licitis iura ſeuera thoris;
Coniuge poſſeſſus, contemtâ coniuge liber, 196
Non ſimilem cauſam relligionis habent.
Coniugis implicitum detentat cura maritum:
Solum vult celebs emeruiſſe Deum.
Sed quia nonnunquam ſuccumbūt lumina formae,
Ancipiti rectus labitur in biuio.

Si

Si purum maculare animum parat impius hoſtis,
Semper ouans caſtam ſollicitare fidem:
200 *Accipe tela quibus cordis pia moenia ſerues.*
Crux tibi ſit clipeus, crux tibi ſit gladius.
Suplicibus lacrimis, gemitu, prece, pectore [a] *tonſo,* [a] ſcribe, *tunſo.*
Quaere ſalutiferum nocte dieq; Deum.
Ac ne paullatim facilem ſpes palpet amorem,
Lapſum à praecipiti perge referre pedem.
Non ignarus enim miſeris ſuccurrere quaero,
Omnia perpeſſus, quae fugienda loquor.
204 *Reſpicis ad formam? ſed ſaeuas reſpice poenas:*
Reſpice quid laudes, reſpice quid timeas:
Internisq; oculis, & vero lumine cerne,
De terrâ ad coelum, deq; homine ad Dominum.
Hic breuis eſt fine exiguo claudenda voluptas,
Illic perpetuo ſulfure flama vorax.
Audi clamantem cum magnâ voce Propheten;
Seu mandata legas priſtina, ſiue noua,
208 *Quae laus in vultu eſt; fenum omnẽ credite carnẽ,*
Quippe vt flos feni gloria carnis erit.
Nam veluti flores ictus metit, atterit aeſtus,
Confundunt imbres, fortior aura rapit:
Sic vultum, quandoq; placet, conſumere tempus,
Et tumor, & liuor deſpoliare poteſt.
Atq; ipſam vt taceã, quae conterit omnia, mortẽ;
Quanta licent morbis, febribus, vlceribus?

Hi modò, qui canent albo ſordente capillo,
Collatas olim non timuere pices:
Pendula, quae moerent rugis deformibus, ora,
Protulerant vanum conſpicienda decus.
Qui nunc in [a] luxa tremulus per pelle vacillat,
Vix dederat tenui ſigna notata ſolo.
Ceruix, colla, manus, & quod nũc omnibus horret,
Heu miſeris quondam cauſa furoris erant.
Lumina, quae madidus deformia ſubluit humor,
Stellarum rutilae ceu micuere faces.
Reſpice quod paucis floret, [b] nec permanet, annis,
Et tamen aeternis culpa manet lacrimis.
Ergo puellares vultus formasq; decentes,
Aut verſo, aut merſo deſpicies capite.
Atq; vt ſis penitùs [c] vt corde ſic corpore purus,
Vt nullum facias ſuſpicione reum;
Da ſtudium, [d] curans & ſemper prouidus opta,
Vt tibi ſit nulla femina iuncta nimis.
Amittent vires, ſi non ſint obuia, [e] ventis:
Pabula ſi deſint, irritus ignis erit.
Ac ne mandatis tantùm pars vna putetur
Ad vitae rectas ſollicitata vias:
Si qua viri diſcunt, credat ſibi femina dici.
Et meritum, & poenas hic quoq; ſexus habet.
Oderit [f] ignotos audax attollere vultus,
Seq; tamen notis addere luminibus.

a cor. *laxâ tremulꝰ per pelle*
b D.Fabr. *non permanet,*
c corr. *ſic corde, vt*
d Lipſ. *curas,* ſed nihil muto.
e cor. *vẽti:*
f cor. *ignotis*

Nam,

Nam, malè permixto ludentia lumina viſu
Blandè ſaepè ſolent ore tacente loqui.
Atque amor, vt lacrimae quas fundi iniuria cogit,
Ex oculis ſurgit, pectoris ima petit.
Ergo [a] *ea quae iuuenes praecepti lege monentur,* a Schond. *Ergo quâ iuu.*
Hac fugiat cunctos femina caſta viros.
228 *Iam ſi corporeas calcaris corpore caſto*
Illecebras, reliquum diſcute cordis onus.
Namque ſubire ſolet nigri de felle veneni, CONTRA INVIDIAM.
Multiplicis mater criminis inuidia.
Inuidia infelix mortem moritura parauit:
Angelus hac celſi decidit arce poli;
Dumque hominem properat coeleſti pellere regno,
Detrudi in tenebras ipſe prior meruit.
232 *Hinc Domini in cunctos vindex ſententia venit:*
Omnibus haec reliquis mortibus vna rea eſt.
Haec belli rabies, haec eſt diſcordia pacis,
Plus ſibi, quàm cui vult ſaeua nocere, nocens.
*Haec Ioſeph fratrum * * * ſub crimine cauſa*
Primùm ſeruitij, mox fuit imperij.
Haec iuſti fratrem maculauit ſanguine Caïn.
Haec Dauid mortis quam propè cauſa fuit?
236 *Cùm, iam confecto ſolius robore bello,*
Extolli nollet laude ſocer generum.
Hac primae cogente gemens operarius horae
Vincere foſſorem nititur vndecimae.

Haec & poſtremò dedit ad ludibria Chriſtum,
Dum peragit liuor crudelitatis opus,
Et praeceps populus ſigna & miracula rerum
Obtutu cernit, pectore non recipit.
In tantum ſtudijs furialibus improba cunctos 240
A vero in facinus verterat inuidia:
Vt non neſcirent, ſed nollent credere; quod tunc
Eſſet per Dominum glorificandus homo.

IN AVARITIAM.

Nec cura leuiore deinc vitare memento
Vnius innumerum crimen auaritiae.
Omnibus in terris [a] *quos ſol videt, aequora claudũt,*
Quasq́; dies adeunt, quasq́; tegunt tenebrae,
Ignoto nobis quicquid diffunditur orbe 244
Omnibus in regnis, omnibus in populis,
Infectis morbo multorum mentibus; haec eſt
Radix, cauſa, caput, fons, & origo mali.
Innocuos quicquid Dominus formarat in vſus,
Haec malè mutatis perdidit officijs.
Quid quereris diros portus, ventosq́; furentes,
Triſtia famoſis aequora naufragijs?
Tu caeſam ſiluis annoſo robore quercum, 248
Si lignis non eſt vtilis, adde focis.
Contentusq́; tuo, ſubmotum ſi qua per orbem
Naſcuntur, patiens crede negata tibi.
Et pelagi motus, [b] *ſaeuas flare procellas*
Securus tuto litore perſpicies.

[a] cor. *quas*

[b] f. *& ſaeuas*

Vſum

Vſum naturae vitium feciſtis auari,
Nata bona & prauis vſibus eſſe mala.
E terrâ genitum terrena in munera ferrum,
Falcibus incuruum, vomeribus rigidum,
In caedem, & diras, bellorum crimina, mortes
Armamus contis, miſsilibus, gladijs.
Pelleret vt frigus violentum accepimus ignem,
[a]*Pelleret vt tenebras, diſcoqueretq́ dapes:* — a inter lineas manu aliâ ſcriptū in v. l. *Vinceret*
Caepimus inſani flamas immitere tectis,
Atque exurendis ſubdere corporibus;
Tamquā eſſet paruum praedādi in crimine crimen,
Ni ferret ſparſas ſanguine raptor opes;
Et miſeros poenis varijs vis vltima cogat,
Cùm quod habent perdant, dicere ſi qua latent.
Fratribus inuiſos fratres, vitamq́ parentum
Exoſam natis fecit auaritia:
De vero falſum, de falſo fingere verum
Saeua per innumeras haec docet inſidias.
Hac faciente reus dum partem ſubtrahit auri,
In mortem totus tranſiit Ananias,
Nec ſolus. ſociam nam [b] *fedi in crimine falſi* — b f. tedae
Coniunxit miſero par quoque poena viro.
Haec miſeros homines mortis ſub tempore fecit
Non benè poſtremis fidere iudicijs.
Subduntur tabulae, conquiritur vndiq́ teſtis
Ore ferens falſum, pectore vera premens:

BIBLIOTECA

Scalpuntur gemmae ſimiles, manus improba diſcit
Heu malè mentitas aſsimilare manus:
Vt pater alterius factus credatur, & heres
Non poſsit proprij filius eſſe patris.
Hac duce cuſtodes inter ſecurus adulter
Peruenit ad caſtos muneribus talamos.
Itur in omne nefas animis manibusq; paratis,
Aurum ſi precium conſtituas [a] *ſceleris.*
Dic rogo [b] *quid miſerũ tantus furor laxat habenas;*
Vt tibi ſat non ſit, quod tibi iam ſatis eſt?
Immenſis properas terris coniungere terras,
Claudendus parui marmore ſarcofagi?
Alterius damno fieri locupletior ambis?
Quod rapis ex alijs, mox erit alterius,
Et curſu celeri poſt ſic amiſſa dolebis,
Vt doluere illi, qui tenuere prius.
Ceu non caſuras immenſas conſtruis arces,
Ipſe tamen raptim qui moriturus eris?
Cur [c] *itur in ſomnos tenuato lucida vitro,*
Marmoribus varijs lubrica, cella tibi:
Tanquam non adeat tectis coëuntia lignis
In benè ſecuro pectore tuta quies.
Certè non aliter ſitientia [d] *proluis ora,* *(quor:*
Quem palmae obtulerint, quem caua gemma li-
Et ſic ſuſcipient rabidi ieiunia ventris
Quos criſtalla dabunt, quosq; patella cibos.

a Schond. *ſceleri.* ſed eodem res recidit.

b Sic v.l. corruptè planè. f. *quis furor, ô, miſero tibi laxat habenas;*

c f. *nitet.* meliꝰ Lip. *Quaeritur*

d cor. *proluit*

An

An non[a] pellendo glacialis frigora brumae — a f. pellẽdo glaciali frigore brumae
Hirta tibi melius pallia praebet ouis;
Quàm quae, lentato per lubrica fila metallo,
Alternos frangit veſtis onuſta gradus?
Quo tibi perlucens habitus, qui tegmine raro
Offerat ignotis membra tegenda oculis?
280 Argentum, & auri moles, & gemma choruſcans,
E mundo, & mundi eſt, hinc venit, hîc reſidet.
Veniſti in mundum nudus, nudusq; redibis:
Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.
Ferre tamen poteris contempta hîc munera mundi — DE ELEEMOSYNA.
Mitte ſecuturus quae duplicentur opes.
Nam ſeruata nimis, quae mox bona, non tua fient;
Si tibi non ſerues, ſic[b] eris vt tua ſint. — b corr. erit
284 Munera quae donat moriẽs, haec munera nõ ſunt,
Donat enim quod iam deſinit eſſe ſuum.
Qui ſanus, metuensq; nihil, qui mente quietâ
Qui ſibi dum viuit demſerit, ille dedit:
Et ſibi quod dempſit melius reparabitur illi,
Integra mox capiet qui peritura dabit.
Condita nam coelo non fur, non auferet hoſtis,
Non tinea, aut pluuiae, flammaq; carpet edax:
288 Coelo autem condes, quicquid pro nomine Chriſti,
Chriſtum reſpiciens, pauperibus tribues;
Qui poſt aſſumptae carnis myſteria dicit:
Veſtior in nudis, ſubleuor in miſeris,

Viſitor in clauſis, curor conſotus in aegris,
Adiuuor in paruis, protegor in viduis,
Et quodcumq; facis miſeris, vel non facis, illud
Crede mihi fieri, vel mihi non fieri.
Ac ne pauperiem pauper praetendere poßis, 292
Vt color iniuſtae detur auaritiae;
Si tibi non fuerint ſumptus, quos quaerit egenus,
Non cibus, aut calida qua foueatur aqua;
Cùm poſcit gelidus ſitiens ſub nomine Chriſti
Oblatus poterit praemia ferre calix.
Hoc; quo quiſq; potes, miſerum ſolare rogantem,
Et ſi defuerint munera, vota dabis.
Ipſa etenim ante Deum non eſt peritura volũtas, 296
Si benè non poterit, quae benè velle cupit.
a *Hinc fuit vt Dominus monitis foelicibus omnes*
Coniungi vellet pacis amore homines:
Et b *qui per ſanctos praedixerat ante Prophetas,*
Diſcipulis proprio traderet ore ſuis:
Dum nihil iniuſtum, nil durum, nil violentum,
Nil leue, nil cupidum, nil graue, nil varium,
Vel facere in rebus, vel verbis dicere poſſet 300
Caſto ſeruatus pectore pacis amor.
Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quae brutis etiam cõ rõne datur;
Et cùm flammiferis frigentia, mollia duris,
Siccis cùm pugnent humida, lenta citis;

a rectè D. Fabr. ſuſpicatur hic deeſſe Monita cõtra Irã. quib⁹ optimè ſubiungitur LAVS PACIS.
b f. *quae*

Omne

Omne per ignotas tacito moderamine cauſas
Vno conſociat foedere pacis opus.
304 *Sic modo; ſi paruis cupias componere magna;*
Corporeum [a] *premit pacis amor populum,*
Vt ſub terreno ſociatus principe diſcat
Regi coelorum ſoluere vota ſimul.
Ergo mei ſimilis peccator, me minor immo,
(Omnes criminibus namque ego vinco meis)
Pacem placatus, pacem quoque laeſus amato,
Pax in viſceribus, pax ſit in ore tuo.
308 *Pelle odium, contemne minas, depone rigorem,*
Offenſam teneant tempora nulla tuam:
Vt te Sol blandae ſeruantem vincula pacis
Deſerat abſcedens, inueniat rediens.

[a] Lipſius *preſsit*. vereor ne quid deſit.

Non videtur hîc eſſe finis libri: non tamen plura in M. S. habebantur. arbitror deeſſe vt minimùm, de ceteris peccatis, Gulâ, Acediâ, Superbiâ, fors & plura.

NOTAE BREVES
MARTINI DELRII.

VERSVS] Sigiſbertus vocat; *Commonitorium*. Auctor ipſe non ſemel; *Monita*.

Diſticho 6. *Ceu*] comparatio erat in lacunâ, fortè fluuij defluentis. nam ſolet S.S. vi-
ım hominum comparare fluctibus, vel aquis
ıbentibus: & opus hoc totum ſelectum ex
ıcris libris.

Ne linguam] ſcio veteres; *ne*, pro; *non*, vſurpaſſe, ſed non Orientij aeuo. ideo mallem; *nec*.
reuiter autem quaedã enumerat Chriſti mi-
ıcula.

Propria] licentiâ vtitur in ſyllabae quantita-
:, vt & aliàs nonnunquam. ait; *propria terga*,
ro; *ſua terga*. hiſtoriam habes *Numer*. XXII.
) XXIII. & de hoc Balaam multa Nyſſen.
b. de vitâ Moſis ſub fin. Cyrillus lib. 6. de

Adorat. Theodoret. quaeſt. 40. D. Ambroſ. epiſt. 37. ad Chromat. Auguſtin. ſerm. 103. de temp. Gregor. 3. p. Paſtoral. admonit. 13. Procop. Raban. Rupert. in Numer. Quòd verò *Baláam* mediâ productâ ſcripſerit, patitur id Hebraeus ſermo. nam nomen ſcribitur per *ע*, quae vim habet geminae aſpirationis בלעם *Bilhham.*

Propriè motam] mendoſum eſſe nequit nega- 18
ri. quid ſi caſtiges? *properè*. initiò enim nequiuit, ſed poſtea tantùm cùm cap. XXIII. ſpontè protulit, quae Deus iubebat. poſsit etiam caſtigari; *proprio motu*. ſubdidit enim poſtea illam ſibi, cùm ſe Deo.

Quódque etiam poſſunt] quod concurſu tuo 21
adiuti nunc poſſunt; id ipſum non poterunt, ſi iuuare illos deſinas. loquitur de actionibus etiam naturalibus, qua tales ſunt; vt ſtare, ſedere, loqui, ſpuere, manum vertere. Nam quo ad has quoque Pelagium erraſſe, & cenſuiſſe in ijs hominem adeò liberum, vt Dei concurſu non egeat; D. Hieronymus docuit, blaſphemiae, & ſacrilegij notam hoc illi nomine inurens. *Epiſtol. ad Cteſiphon. circa medium, & libro 1. contra Pelagian. in princip.*

Gemi-

22 *Geminam*] vnam fragilem & caducam, quae corporis; alteram perpetuam, & incorruptibilem, quae animae.

25 *Vnica naſcendi*] IVSTVS LIPSIVS V. CL. cenſuit hiatum eſſe non paruum, & fuiſſe in hunc ſenſum;

Vnica naſcendi ratio, non vnica vita
* * * * * * *
Illam * * * *prius omnibus affert.*
Hanc curâ, & proprijs conſequitur meritis.

Fortaſsis enim hoc voluit: Vnam eandemq; omnibus eſſe naſcendi rationem: viuendi duplicem, quibuſdam animalem; quam ipſa nos natura abundè docet etiam otioſos: alijs verò ſpiritualem, quae ſtudio comparanda, & virtutum meritis à Deo obtinenda. Potiùs tamen arbitror vitas illum comparare dumtaxat hanc quam in hoc mundo degimus breuem, cum alia, quae nos manet, aeternâ. Et breuem quidem illam priorem ſolâ nos natiuitate conſequi, poſteriorem verò hanc durabilem curâ, & meritis ſibi vnumquemque comparare debere. Conſtabit probè tota ſeries orationis hoc ſenſu, ſi caſtiges,

Vnica naſcendi ratio primam omnibus affert:
Hanc curâ, & proprijs conſequitor meritis.

Primam vocat vitam illam breuẽ, quae praecedit. *Hanc* dicit, quae propria eſt animae afflatu Dei viuificatae, & illam ſubſequitur. Sanè tunc omnia cohaerent, nec quidquam defuerit. placet idem Schondoncho noſtro, ſed cenſet, *conſequimur* emendandum. Sequitur enim

Naſci non noſtrum, nec longum viuere noſtrũ.

Vita parare poteſt] benè viuẽdo mereri poſſu- 26
mus (ait) aeternam vitam. quod contra Nouatores eſt, merita operum repudiantes.

Tutis] non volubilibus, ſed ſolidis, mutari 28
neſcijs, & periculi infortunijq́ue expertibus ſaeculis. ſic Apoſtolus *ſpem* vocauit *anchoram animae tutam, & firmam, Ad Hebraeos* VI. prope finem.

De ſummo] coelitùs, deſuper à patre luminũ. 25
Notanda hîc gradatio egregia, finem hominis creati, (*Deum noſſe, & colere*) & modum cultus Deo placiti, & praemium, mercedemq́; breuiter docens.

Et quae tanta] conijcit Schondonch. noſter; 3
Et quae tanti hom. & ſpecioſa putant. Vult homines falli in precio, & formâ.

Ore Prophetae] *Pſalmo* XLIX. *à v.* IX. 7

Et ſpecies igitur] ſuſpicor ſcripſiſſe; *Et ſpecies* 38

agri

agri mecum eſt. nam in Pſalmo habetur; *pulcritudo agri mecum eſt*, זיז *ziz* ſignificat ſplendorem, ſpeciem, pulcritudinem, (vt rectè LXX. ὡραιότης) vel omnium animantium collectionem. Et nota cùm hoc nomen ter tantùm in ſacris litteris occurrat, dicto loco Pſalmi, & Iſaiae vlt. verſ. 11. apud Iſaiam noſter vertit, *omnimodam*; LXX. *introitum*, εἰσόδου. Symmachus, *pinguedinem*; Theodotion, *multitudinem*, retinens Hebraiſmum quem vulgatus clarè interpretatur. Denique Pſalm. 80. v. 14. noſter, *ſingularem ferum* cum LXX. qui μονιὸς ἄγριος, ſoliuagus. Veriſimilius mihi videtur hoc vltimo loco numerum ſingularem exponendum per pluralem, vt voluerit Dauid ſignificare, ab omnibus & apris ſilueſtribus, & ab vniuerſis feris, etiam maximè ſoliuagis, ac truculentis, vineam illam exterminandam. Cùm itaque dicit Orientius *ſpecies agri*, ſignificat vniuerſam agri pulcritudinem Dei dominio ſubiacere, & ideo addit idem de coeli gloriâ.

43 *Senſu*] hoc eſt ſapientiâ. ſed malim; *Cenſu*, potentiâ, diuitijs inexplicabilibus. Si *Senſu* retines, non ad nomen Dei ineffabile, ſed ad myſteriorum in lege, & ſcripturâ totâ latitantium retulerim abyſſum.

Veteri

Veteri] latâ per Moſem. *Solidis*] lapideis. 46
Deuteron.VI.*v*.5. vnde ſumtum promit praeceptum primum.
Renouat] *Matth*.22.*ver*.37. *Lucae* 10.*ver*.27. 47
deinde ſubdit elegantẽ beneficiorum in hominẽ collatorum catalogum, vt ſic ad amandum toto corde Deum impellat.
Fallente cibo] hamo eſcario. 71
Prona] incauta, & paſcentia. 74
Aurum producis harenis] fodiendo. nam de li- 76
quatione, ſequitur. quod verò praeceſsit, de ſaxis gemmas produci; eum habet ſenſum, vt homo inter ſaxa & rupes ſedulitate ſuâ gemmas reperiat: ſicut in Occidentali Indiâ ſmaragdorum vis tanta, vt miraculo ſit, effoditur. & videntur ſaxa in gemmas illas mutari. Inuenias (& vidêre Madriti multi) ſmaragdos, partim adhuc rude ſaxum, partim iam ſplendentes, virentesq́;.
Deq́; tuis] poteſt ſubaudiri; *ſe*. ſed malim caſti- 80
gare; *Seq́; tuis*.
Proximus vt] ſecundum mandatum, quod 86
eleganti mutuo pecudum amore, & beſtiarum omnium exemplis inculcat. Porrò, *ſic*, more ſuo pro *aequè* vſurpat, vt ſuprà;

Corporis, vt animae, ſic Pater, vt Dominus.

Res

93 *Res*] periculum, cauſa. *Tenditur*] militare vocabulum aptiſsimè vſurpatum.

99 *Nec facias alijs*] Negatiuum hoc habes *Tobiae* 4.*v.*16.ſequens affirmatiuum *Matth.*7.*v.*12. *&* *Lucae* 6.*v.*31. Mirè hoc placuiſſe Alexandro Seuero Imp.legimus.

101 *Quid non*] quia tota legis adimpletio hoc vno comprehenſa praecepto. *d.v.*12.*&* *Rom.*13. *v.*8.*Galat.*5.*v.*14. Mox fusè ediſſerit explicãs praxim praecepti huius; *Quod tibi vis fieri, fac alijs: quod non vis, ne fac.*

120 *Hinc fuit*] habetur lex iſta talionis, *Exodi* 21. *v.*23.

124 *Melius*] legem talionis vult à Chriſto mutatam in melius, *Matth.*5.*verſu* 38. eò quòd talionis lex ſolo metu poenae hominem ab iniuria deterrebat: ipſe autem iuſsit nos vt filios adoptionis amore benefacere; & non modò non quaerere vltionem, ſed iniurias patienter tolerare; neque id tantùm, ſed optare quoque & illis gloriari. vide Chryſoſt. & Hilar. in Matthaeum.

Gratia Chriſti] lex tantùm ramos, Euangelium radices vitiorum exſcindit. D.Hieron. *In lege* » *retributio eſt, in Euangelio gratia. Ibi culpa emen-* » *datur: hîc peccatorum auferuntur exordia.*

F *Reſti-*

125 *Reſtituas*] retribuas poenam ex lege veteri iudicis auctoritate. *Patienter agas*] perferas, & remittas poenam ex lege nouâ.

126 *Vindice*] ſi Chriſto vindictam permittas, vt ipſe retribuat. in ſequenti verſu puto legendum, *ſic Domino*. ſenſus: ideo melior eſt, quia hac ratione Domino refert, & permittit, quod Dominus ipſi permiſerat, & detulerat: nempe, iudicio contra iniurium experiri.

128 *Vitae quem rectae*] an hypallage eſt? pro quem rectae vitae fugientis (h. tranſactae) honeſtas cõmendat. Sequentibus verſibus aſtruit animae immortalitatem, & fidem reſurrectionis.

132 *Aut aruum ſolidans*] mihi locus adhuc mendoſus videtur poſt viri magni emẽdationem. ſuſpicabar; *aruum ſolidum, puluis, odórve:* hoc eſt ſiue in ſolidam terram humumq́; , ſiue in leuem puluerẽ, ſiue in nudam putredinis graueolentiam abierit. Sed Exim. M. N. Fabricius cenſuit nihil mutandũ, aruum enim ſignificari, vt ſolet puluere; ſic inhumatorum cadauerum putredine in cineres reſolutâ terrã reddi ſolidiorem, foetidam tamen eâdem ex cauſâ.

Benè cecidit, quòd cùm iſta vidiſſet D. Laurentius Ramirez de Prado, cũ quo mihi nũc, & virtutis, quam nobilitati cõiunctam meri-

tò

ò magni facere ſoleo,&amoris in bonas litte-
as causâ, recẽs amicitia inita; cenſuit ſine vllâ
nutatione ſana eſſe omnia:& ita ingeniosè, ac
ruditè Oriẽtio noſtro facẽ praetulit, vt cẽſue-
im me ſine flagitio verba eius praetermittere
ó poſſe. Fruere igitur, Lector, & habe. Ego
inquiebat) hoſce verſus integros eſſe exiſtimo
iec ſubeſſe ijs mẽdũ affirmarim. Tãgit Poëta
uo genera ſepulchrorũ, alterũ erectũ à ſolo
edificio aliquo: alterũ planũ in agro, vtrumq;
otiſsimũ in Romanâ antiquitate. Planum in
gro definiebatur lapide inſcripto, quò pedũ
n lõgitudinẽ,& latitudinẽ numerꝰ deſignaba
ur, cui addebãtur notae H. M. H. N. S. HOC
IONVMENTVM HAEREDES NON SEQVI-
VR, vel ſi abeſſet penultima littera, HOC
IONVMENTVM HAEREDES SEQVITVR.
ác formulã Horat. ponit lib. 1. Satyr. VIII.
Pantolabo ſcurrae, Nomentanoq; nepoti
Mille pedes in frõte, trecẽtos cippꝰ in agrũ (RETVR:
Hic dabat. HAEREDES MONVMENTVM NE SEQVE-
c haec iuſta ſepultura dicebatur; Marcianus
Diui fratres. n. de relig. & ſumt. fune. *Diui fra-*
es (inquit) *edicto admonuerũt, ne iuſtae ſepulturæ*
raditũ, id eſt terrâ cõditũ, corpus inquietetur. id eſt
e corpꝰ illud exturbetur, aut aliò trãsferatur,
 vel

vel aretur ſolũ, q̄ ꝓximũ ſacrilegio eſt, vt oſtẽdit Imp. Iul. l. pergit. C. de ſep. viol. his verbis: *Pergit audacia ad buſta defunctorum, & aggeres conſecratos: cùm & lapidem hinc mouere, & terram euertere, & ceſpitem euellere proximum ſacrilegio maiores noſtri ſemper habuerint*. Hinc quaeſitus iocus ab Auguſto apud Macrobium lib. II. Satur. cap. IV. *Vettius cùm monumentum patris exaraſſet, ait Auguſtus, Hoc eſt verè monumentum patris colere*. Eſt igitur ſenſus: reuiuiſcent corpora omnia, non modò quae in tumulis condita ſaxis reſeruantur, ſed etiam ea, quae puluis, id eſt iniecta terra in plano ſepulchro, quae aruum facit ſolidum, & non mobile, nec aratro inuertendum, tenet. Addit Poëta, *odorq́ʒ*, reſpiciens ad odores tàm vnguentorum, quibus corpus vngebatur, quàm aromatum, quae concremabantur in ipſo funere, & parentationibus, quae propriè odores dicuntur, vt conſtat ex Vlpiano in l. & ideo. VII. §. III. ff. de in rem verſo. *Illud* (inquit) *planè verum eſt, quod Labeo ſcribit: Si odores, & vnguenta ſeruus emerit, & ad funus erogauerit, quod ad dominum ſuum pertinebat, videri in rem domini verſum.* de aromatis hiſce notiſsimum eſt vel ex D. Marci cap. XVI. Puluis ergo iniectus

ctus cadaueri, & odor ſolidant aruum, id eſt firmum faciunt, & ſacrum, foſſoremq;, & aratorem ab eo abigunt. Dici etiam poſſet, puluerem ſolidantem aruum eſſe iniectum illum puluerem à viatoribus pietatis cauſa ignotis cadaueribus, quod diſſertis verbis Quinctilianus declam. v. docuit. *Ignotis* (ait) *cadaueribus humum congerimus, & inſepultum quodlibet corpus nulla feſtinatio tàm rapida tranſcurrit, vt non quantulocumq; veneretur aggeſtu*. & declamat. VI. *Inde ignotis quoq; corporibus tranſeuntiũ viatorũ collatitia ſepultura, inde iniecta ab alienis humus*. Hoc officiũ praeſtari ſibi iubebat Archytas Tarentinus apud Horat. lib. I. ode XXIIX.

At tu nauta vagae ne parce malignus arenae
Oßibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

& vltimo diſticho.

Quamquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
Iniecto ter puluere curras.

hic puluis aruo iniectus, & additus ſolidare aruum ipſum dici poteſt, quod etiam ſacrum faciebat.

Motus] ad informationem, & motum vitalẽ actus ſui.

Apiceus dẽſis] corrigebã; *Aſpicis vt*, pro; *Apiceus*.

145 *Vtq; hominum res eſt*] vt poſtulat hominum vtilitas.

148 *Perpetuo moritur*] hoc eſt, mors noſtra, perpetuâ quae ſuccedit vitâ, abſorbetur. alludit ad

» illud Oſeae; *Ero mors tua ô mors*. Ne quis haec detorqueat ad Stoicorum deliria, de quibus actum Commentar. noſtro in Herc. Oetaeũ, ver. 1114. fol. 339.

149 *Viuit homo*] legendum puto; *Viuet homo. Viuet homo? fletus aſt hîc mea* &c.

A vitae aeternae bonis, ad malorum aeterna tranſit ſupplicia, & reſpiciens ad dictum Saluatoris de Iudâ proditore *Matth. 26. ver. 24.* ait; feliciores futuros malos, ſi tanta criminũ licentia graſſante, vnà cum vitae corporeae amiſsione, ſenſum quoque poenarum anima amitteret, perinde vt ſenſu carent qui vitam nunquam adepti, nunquam nati fuêre. Nam acerbius eſſe, mori gloriae, & tamen ſupplicijs viuere; quàm planè nullum, nec gloriae, nec ſupplicijs reſeruari. Hoc praemiſſo, apta tranſitione ſe confert ad damnatorum immortales poenas deſcribendas. probat exemplo AEtnae, Liparae, Veſuuij, & ſimilium mõtium, quorum, quae vomunt, incendia non conſumuntur, &c.

Dirae

153 *Dirae ad comp.*] ſenſus: Ne exiſtimes tradi incendijs, vt citò conſumti finem dolorum cõſequantur. non facit ad compendium ſupplicij flamma, ſed ad iugem cruciatus renouationem.

156 *Pabula*] alludit ad illud, *Sicut oues in inferno poſiti ſunt; mors depaſcet eos. Pſalm. 48. ver. 15.* vt oues conſtipatae in caulis, non vt paſtor eas paſcat, ſed vt auidus heluo depaſcatur mors, ſemper renaſcente carne. finxere id poëtae de Promethei iecore.

157 *Haec ſi falſa*] mihi, & Schondoncho videtur nihil hoc loco corrigendum. Sententia huiuſmodi eſt: Si hîc degens falſa putaris, pòſt vera eſſe doceberis experientia: ſi verò nunc credideris eſſe vera, non magis illis ledêre, quàm ſi falſa & nulla forent, nimirum quia tu illa euades. vitando culpam, effugies poenam.

158 *Quare*] vt vitemus aeterna ſupplicia, ſuadet nos mundum calcare, & vitia fugere: & praecipua, quae in mundo regnant, enumerans, ab ijs nos, propoſitis eorum damnis, dehortatur, primùm à concupiſcentiâ oculorum, & cultus ornatusq; ſuperbia.

163 *Non metet*] tandem volet carpere & detondere, cuius diu odore delectatus, floſculum.

Conſi

Conſidera quàm eleganter & ingenioſè deſcribat gradus quibus ad libidinem flagitiumque, de caſtitatis ſolio, deſcenditur. Et quot malorum quàm multis cauſa fuerit laſciuus Amor, multis exemplis confirmat. Eſt locus communis contra luxuriam pro laude coelibatus, virginitatisq́;.

167 *Concipiunt flamas*] Aſclepiades; Τήκομαι ὡς κηρὸς πὰρ πυρὶ, κάλλος ὁρῶν. Vide quae ſcripſi Comment. in Sen. Oedipum v. 956.

169 *Prima*] mater communis Eua. Lege *Geneſ. cap. 3.* Egregiè Sedulius lib. 2. Paſchal. carm.

** * * heu noxia coniux,*
Noxia tu coniux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco: ſed tu quoq; noxia coniux,
Proh dolor, &c.

170 *Tu citò decepta, tu citò decipiens*] aliter decepta, quia verè credidit ſerpenti decipere volenti; aliter decipiens, quia decipere maritum non volebat, noxia tamen & fraudi fuit ignara. ſic interpretandi Patres, qui videntur etiam Adamum dicere deceptum, & conciliandi cum B. Paullo 1 *Timoth. 2.* qui negat Adamum ſeductum, de qua quaeſtione fuſè & accuratè diſſeruit Bened. Perer. lib. 6. in Geneſ. integrâ diſputatione. addo quaedam ex veteribus poëtis.

poëtis. Paullinus *in precat. matutinâ:*

Sit ſatis antiquam ſerpens quòd perdidit Heuam,
*Deceptumq́ adiunxit Adam * **

Hilarius *in Geneſi:*

Poſtquam primus homo vetito ſe paſcere ligno
Non timuit, captusq́ dolis ſe praebuit angui.

Cl.Marius Victor *lib. 1.*

** * * * * credula poſtquam*
Rupit ſacrilegis praeſcriptum morſibus Heua
Experti iam docta mali, conſortia culpae
Quaerit, & incautum fraudis malè gnara maritum,
Qua periꝫt prior, arte petit: ſic, hoſte ſubactus
A gemino, cedit ſceleri miſerabilis Adam.

Dracontius in Hexam.

Et capit inſontem iam noxia foemina victum,
Circumuenta perit, ſed circumſcripta fefellit:
Nec circumſcriptum ſerpens impunè triumphat.

Alchimus Auitus *lib 2.*

Porrigit infauſto coniux maleſana marito:
Accipit infelix maleſuadi verba ſuſurri,
Demiſitq́ ſuos ad noxia crimina ſenſus.

cautiùs certè quàm ceteri. cautè quoque Prudentius *in Tetraſt.*

Heua columba fuit tum candida, nigra deinde
Facta, per anguinū maleſuadâ fraude venenū.

Tinxit & innocuum maculis ſordẽtibus Adam; & *in Hamartigeniâ*.

Traxerat Heua virũ dirae ad conſortia culpae.

174 *Et raptim*] lego; *Et raptu*, Sabinarũ, ac Lucretiae. Lipſius, *raptum* de illis; vel, *raptam*, de hac.

178 *Te Dinae ſpecies*] de ſtupro Dinae, & vltione crudeli fratrum, lege *Geneſ.c.34*. ſed quomodo, *pia cura?* cura, & zelus pudicitiae ſororis proba, ſed vltio, & pacis violatio, & ira pertinax improba. ſic etiam laudat factum S.S. *Iudith 9. v.2. & 3.*

180 *Dauid*] adulteriũ Bethſabee, & homicidium Vriae narrãtur *2.Reg.11.* inde pete; poenitentiam Dauidis, ex *c.12.* de inceſtu Thamar oppreſſae ab Amnon, & fratre parricidali vltione Abſalonis necato, *cap.13*.

183 *Vnus*] Amnon. *Corruptam*] Thamar. *Alter*] Abſalon. *Iuſta*] quia oppreſſor ſororis morte dignus. *Deſinit eſſe pia*] quia parricidio & fraude vitiata, ideo impia vltio.

184 *Salomon*] de apoſtaſiâ hâc agitur 3. *Reg.11. & Eccleſiaſtici 47. v.21.* & dicã fusè q. an dãnatus Salomon, Comment. in Cant. Canticorum.

187 *Forma placens*] eò quòd Aſſuerus putaret Amã voluiſſe Reginae Eſtherae vim inferre; *Eſther 7. ver. 8.* hoc ergo ait: Non verus, ſed puta-

tatitius tantùm Amor Eſtherae Amanum perdidit. quo modo? quia mariti zelotypiam acuens, morti Aman addixit. Fateor longè quaeſitum.

Oloferne] confirmat hoc ipſa, quae, & formâ caepit, & gladio necauit, *Iudith 16. v. 8.*

188 *Samſon*] *Iudicum* XVI. *Forma decens.*] Dalilae pulcritudo.

189 *Sanctus, & victor*] puto loqui de fraude Moabitidarum, & Madianitidarum, quae iuxta conſilium Balaam ſe in viâ comtas, & ornatas Iſraëlitis tranſeuntibus exhibuerunt, eoſq; ad laſciuiam prouocatos ad idololatriam perduxêre; & ſic hoſtibus terga dedêre Iſraëlitae, donec Leuitae expiauêre ſcelus multorum caede. *Numer. 25. & 31. v. 16.*

190 *Vitam pollutus*] fortè, *Vt iam*. nempe initiatione idololatricâ.

191 *Leuitis tantum dilecta*] hoc ait, quia concubina, ſeu vxor ſolùm ſecundaria. hiſtoriam habes *Iudic. 19. & 20.*

192 *Totas vel bella*] *totas* hoc eſt *omnes*. deinde ſcriptum erat, *ad*; inde facilis deprauatio in, *uel*, diductis characteribus. *Gabaat,*] ſic Hebr. GABAATH. גבעת. lege; *Gabat.*

195 *Apoſtolus*] *1. Cor. 7. v. 32. & 38.*

199 *Semper ouans*] hoc eſt gaudens, & exultans, vt ſolent ouantes.

201 *Tonſo*] ſcribe, *tunſo.*

203 *Omnia perpeſſus*] ſic Apoſtolus, ſic ceteri Sancti ſoliti ſe graues peccatores fateri, & περιαυτολογεῖν.

207 *Propheten*] *Eſai. 40. v. 6. & 7. Omnis caro foe-*
» *num, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſic-*
» *catum,* &c.

210 *Quandoq;*] pro quandocunque, vt, *Indignor quandoq; bonus dormitat Homerus.*

215 *Et quod nunc omnibus horret*] fortaſſis legend. *Et quae n. o. horrent,* quae omnes olim flore ſuo alliciebant, nunc ſitu, & ſquallore, & deformitate horrorem incutiunt.

217 *Reſpice quod paucis*] Lipſius; *Deſpice quod paucis,* vel; *Reſpice quàm paucis.* Nihil muto. ſenſus eſt: Vt voles iſta contemplator, videntem effugiunt caduca, & interitura: nihilominus ab hoc momento pendet aeternitas. Voluptas breuicula, ſed ſupplicium ſempiternum.

218 *Aut verſo, aut merſo*] aut in tergum reflexo, aut in pectus demiſſo.

224 *Oderit ignotos*] hoc puto velle, foemina oculos, & ab ignotis, & à notis diu vel temerè adſpiciendis contineat. quare corrigo;

Oderit

„ *Oderit ignotis audax attollere vultus,*
„ *Seq; etiam notis addere luminibus.*

230 *Angelus hac*] voluit ergo lapſus Angelorum cauſam fuiſſe peccatum Inuidiae,& fuit ſanè; ſed cum Superbiâ coniunctum, quae naturâ tantùm prior. Inuidiae verò cauſam duplicem Patres tradunt, vel quòd homini vnionem hypoſtaticam, vel quòd Deo diuinitatis beatitudinem inuiderit. Puto noſtrum potiùs ad priorem alluſiſſe. qua de re legendi Ludou. Molina, & Greg. de Valencia in 1. p. D. Th. q.63. a.2. Noſter reſpexit ad *Sapient.2. v.25.*
„ *Inuidiâ autem Diaboli mors introiuit in orbem*
„ *terrarum.*

234 *Fratrum*] Hiſtoriam habes *Geneſ. 37. ver.11.* de inuidiâ; *v. vlt.* de venditione; *c.41. ver.40.* de imperio. Non imperaſſet, niſi ſeruiuiſſet; nec ſeruiuiſſet, niſi fratres ei inuidiſſent. Lacunam Iuſtus Lipſius V.Cl. ſupplet, verbulo; *falſo.* Fuit Ioſeph bis falsò accuſatus, ſemel à Phutipharis vxore, ſed de hoc crimine non puto nunc loqui: ſemel à fratribus apud patrem, ſi ſequamur LXX. lectionem; nam illi verterant d. c.37. v.2. κατήνεγκαν δὲ κατὰ Ιωσὴφ, detulerunt autem contra Ioſephum. vbi ipſi fratres accuſatores ſtatuuntur: & ſic legêre Cy-

 rillus,

rillus, Theodoretus, Chryſoſtomus, Theodorus, Diodorus, & Iſidorus Peluſiota, & fortaſsis B. Orientius hanc lectionem fuit ſecutus. Alioqui fons Hebraeus, Aquila, (fallitur de eo Procopius) Symmachus, & noſter, illi quidem, κατήνεγκε δὲ κατὰ Ἰωσὴφ, noſter, *accuſauitq́ fratres ſuos apud patrem*, volunt à Ioſepho fratres vero pulſatos crimine. Quare mallem aliud aliquid, vt *turpi*, aut *foedo*, aut *ſummo*. h. peſsimo, quod ait ſcriptura, vel; *gemino*, nempe odij, plagijq́;, aut quid ſimile.

235 *Iuſti*] Abel, hoc epitheto à Chriſto donati, *Matth.23.v.35.*

Dauid] eſt caſus tertij, hoc eſt *Dauidi*: loquitur de Periculo confixionis. *1.Reg.19.v.10.*

236 *Solius robore*] nam monomachià victor Goliam necarat, qui ſpes, & murus Philiſthaeorum. *1.Reg.17.v.50.et 51.*

Laude] Percuſsit Saul mille, & Dauid decem millia. *1.Reg.18.v.16.*

Socer] Saulis gener per Michol. *d.c.18.v.27.*

237 *Primae operarius*] ex parabola *Matthaei 20. v.11.et 12.*

238 *Crudelitatis*] lege; *credulitatis*, ſic fidem appellat. Nam crux opus fidei noſtrae Metonymicῶs, & hoc opus tribuitur Liuori, quia Liuor

Iudaeo-

Iudaeorum morte CHRISTI fidei Chriſtianae fundamenta iacit, & ſaluti noſtrae ignari ſunt cooperati perfidi aedificantes, qui lapidem reiecerunt angularem.

239 *Praeceps populus*] maiorum more in proprium exitium, & quam foderant foueam ruentes.

242 *Innumerum*] multiforme.

248 *Lignis*] nempe dolatis, & deaſciatis ad fabricam nauium.

260 *Totus*] animâ, & corpore perijt cum vxore. lege *Act.* 5.

262 *Non benè*] non tutò, nec ſecurè.

263 *Subduntur*] deſcribit eorum conatus, qui contra legem Corneliam, alienis haereditatibus inſidiantur. *Poſtrema iudicia* vocat teſtamenta.

264 *Scalpuntur gemmae*] effinguntur, aſsimilanturque ſigilla.

265 *Alterius*] vt pater credatur filio exhaerede facto, alienum praeoptaſſe, & inſtituiſſe.

282 *Mitte ſecuturus*] *Matt. 19. v. 21. & 29.* hoc ait: praemitte eleemoſynas, vt poſtea moriens eas in coelis duplicatas inuenias, & quaſi ſortem tollas cum foenore. Caue, *ſecuturas*, reponere; quae praecedunt.

287 *Condita nam caelo*] *Matth. 6. à v. 19.*

Veſtior

289 *Veſtior* &c.] ſumta ex *Matth.25. à ver.34. &* *Matth.10. v.40.*

293 *Calida qua*] poteſt per penthemimerim excuſari. correctum in M. S. ſed manu aliâ, *calidae*. an ergo legendum? *calidae quo fou. aquae. quo*, pro *vt.*

294 *Oblatus*] *Matth.10. ver.42.*

297 HINC FVIT] concludit, vt coeperat, ad Pacem, & Concordiam inuitans: & redit ad id vnde digreſſus, vt inueheretur in vitia caritatem, & mutuam pacem laedentia, luxuriam, inuidiam, auaritiam.

301 *Cō rōne*] ſic perſpicuè v. l. quid hoc mõſtri? an? *cū ratione*. videntur tum temporis dixiſſe; *cum ratione*; quod Hiſpani dicunt, *con mucha razō*; meritò, iuſtè, non ſine causâ. dicit ergo, meritò etiam bruta inter ſe cōcordia colligari: vel ſanè rationem brutis tribuit, quod quo ſenſu recipi poſsit, pete ex ijs, quae fuſè ſcripta ſunt nobis lib. 2. Diſquiſit. Magicar. cap. 20.

Sed haec qualiacunque, S. A. C. &
Romanae Eccleſiae cenſurae
ſubijcio,

MARTINVS DELRIVS.

[library stamp]

Digitized by Google

